

ne præsumatur tempus sine loco, vel locus sine tempore: vel etiam si tempus, & locus assignentur, si provocatio sit ad pugnandum, non armis, sed pugnis, vel etiam, si prædicta concurrant, si provocatus, non accedit ad locum. Nec incurrit excommunicationem Principes, qui ad minima mala vitanda, vel ex alia justa causa, permittunt duellum: nec illi, qui locum ad duellum concedunt infidelibus: siquidem *Trid.* expressè dicit: *Inter Christianos*. Si verò concedat locum ad duellum in eundem inter Christianum, & infidelem, excommunicationem incurrit. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 29. Laer. lib. 3. p. 1. n. 856.* Consulentes duellum, non aliter incurrit excommunicationem, nisi verè in duellum suo consilio intendant. Secus si jam erat alius absolute determinatus ad duellandum, vel si quis consulat duellum cum minori damno; v.g. ei qui volebat in duello contrarium occidere, consulat, quod solum usque ad vulnerationem, vel mutilationem pugnet: nam cum consulens minus malum non peccet, consequenter non incurret duellantium poenas. *Sanch. de Matrimonio. lib. 7. D. 11. n. 15.* Imò excusari ab his poenis consulentem duellum, qui ante duellum, vel saltem ante provocacionem ad illud, efficaciter revocavit consilium faciendo, quantum potuit, ne provocatio sequeretur, tenent *Bonacini. de Excom. D. 2. q. 6. p. 1. n. 35. Diana. Peregr. Pignat. Laer. lib. 3. p. 1. n. 852.* Similiter non incurrit, qui approbat duellum suo nomine factum. Incurrit tamen ille, qui non impedit duellum, cum posset, etiamsi pugna non sequatur, quando per ipsum non stetit, quominus iniretur. *Ex Constit. Gregor. XIII.* Spectatores solum quando ex proposito, vel data opera hoc faciunt, quasi duellum approbando incurrit poenas *Trid.* Secus Sacerdotes, si ibi sunt, ut audiant confessionem illorum: nec Medici, vel Chirurghi, qui ibi assistunt, ut medeantur vulneratis: nec illi: qui per transitum sistunt, ut obiter videant: vel si ex occulto duellum, quis aspiciat, non enim est proprie spectator, nec sua presentia coonestat duellum: vel si aliqui solum ex curiositate, vel casu spectent, vel animo impediendi. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 31. Laer. lib. 3. p. 1. ex n. 858.* Ab hac excommunicatione potest absolvi Episcopus, si delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. *Ex Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Et quilibet Confessarius virtutem

Bullæ Cruciatæ, & Mendicantes ex suis privilegiis ex declaratione *Clem. VIII.* qui ab hoc beneficio exceptit Italos extra Urbem commigrantes. *Laer. l. 3. p. 1. n. 861.* In nostra Hispania novissime declaratum est, quod rixa facta, etiam post aliquod tempus elapsum in campo, vel loco occulto, pro duello habeatur, & arbitrio Judicis relinquitur moderare poenam.

178 Clerici incuentes duellum (de quibus specialis loquitur prærens Rubrica) Jure Canonico antiquo in *cap. 1. b. t.* sive ipsi provocaverint, sive provocati acceptent, sunt deponendi, vel perpetuo suspendendi, per sententiam Judicis, ab officio, & beneficio, ut Interpretes dictum text. intelligunt. Si tamen mors, vel mutilatio non esset secuta, poterat Episcopus in suspensione dispensare. *Gloss. in cap. 1. b. t. V. Depoñendus.* Si Clericus in duello pugnans, per se, vel per alium occidat, vel mutilet, irregularis fit, *cap. fin. b. t.* in qua irregularitate nequit dispensare Episcopus. Præterea: *Pius IV. ann. 1560.* statuit in Clericum pugnantem in duello privationem beneficiorum, & inhabilitatem ab illa. Denique, Clericus in duello pugnans punitur poenis statutis in alios pugnantes Jure novo *Trid.* nam cum delictum Clericorum duellantium gravius sit, quam laicorum, non debent poenæ in ipsos esse leviores. *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 29. Suar. de Cens. D. 31. sect. 4.* Et prædictis poenis absque ulla sententia, etiam criminis declaratoria, incurritur illæ, quæ nullo jure quasito privant: ut excommunicatio, interdictum, irregularitas, & probabiliter, etiam inhabilitas ad beneficia obtinenda: quia cum sint late sententia statim ligant. Illa verò, quæ jure nam quasito privant, ut privatio beneficiorum, quæ jam obtinentur, amissio jurisdictionis, confiscatio bonorum, amissio domini loci concessi ad duellandum, &c. indigent, ut incurrantur, sententia declaratoria criminis: siquidem valde durum, & difficile est, eum obligare, eas in se ipso exequi. *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 3. n. 32. Laer. lib. 3. p. 1. n. 862.* Ut sepultura Ecclesiastica privetur occumbens in duello, non requiritur sententia condemnatoria, ut deducitur ex *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* ubi utitur verbo: *Careat.* Et *Clem. VIII.* in *Constitut. Illius vices*, dicit: *Sepultura privatas esse volumus.* *Pignat. l. 9. cons. 88. num. 84.* Imò nec sententia declaratoria

ria criminis opus est, ut quis privetur sepultura Ecclesiastica, quando est notorium, reum in duello commisso contra *Trident.* & *Constitutiones Apostolicas* esse occisum, Teste ipsius Ecclesiæ usu. *Pignat. l. 9. cons. 88. n. 162.* Si verò non sit notorium ad Episcopum, vel ejus Vicarium casum referri oportet, ut hic, si plene probetur duellum, saltem summarie, eum condemnet ad privationem sepulture, & suffragiorum Ecclesiæ, si tamen hæc probatio nequeat haberi adhibitis diligentibus debitis, poterit in loco sacro sepeliri, secreto tamen, & sine pompa. *Pignat. l. 9. cons. 88. n. 162.* Si tamen longè absit Ordinarius, potest Parochus defunctum in duello, quando delictum non est notorium, sepelire, & postea Ordinarius, publicato crimine, possit in ejus penam præcipere exhumari cadaver. *Laer. lib. 3. p. 1. n. 863.* Occumbens in duello privato datis poenitentia signis, ex consuetudine solet in loco sacro sepeliri. Si verò in duello publico decedat, ei denegatur sepultura Ecclesiastica, ut patet ex *Rituale Rom. edito jussu Pauli V. In Titulo de Exequiis*, ibi: *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint signa poenitentia.* Aliàs numquam, vel raro huic poenæ locus esset, cum plerumque vulnerati, si aliquantulum supervivunt, aliqua dent signa poenitentia. *Gonzal. in c. fin. b. t. n. 10. Pignat. l. 9. cons. 88. n. 166.* Si verò vulnere accepto in duello post unum, vel alterum diem, duellans obiisset, poenitens tamen, & à peccatis absolutus, cum non in ipso conflictu decedat, de quo loquuntur *Constitutiones Apostolicæ*, & *Trid.* non est talis à sepultura Ecclesiastica excludendus, ut tenent *Trullenb. de Jur. Parochi. cap. 9. dub. 7. n. 7. Lezan. t. 2. V. Duellum, n. 14. Diana, Laer. lib. 3. p. 1. n. 884.* contra *Thom. Hurt. t. 2. in ult. res. 5. §. 6. num. 196. Pignat. l. 9. cons. 88. n. 164.* Qui mortuum in duello sepeliunt in loco sacro non excommunicantur, cum nullibi hæc poena statuta invenitur.

## TIT. XV.

## De Sagitariis.

179 Christiani, quando bellum justum est, possunt quibuscumque armis, & modis bellum ge-

tere. *c. 2. 23. q. 2.* atque adeo per sagittarios, hoc est, per eos qui ex arcibus simul, & semel plures sagittas in hostem dexterè jacere sciunt, & per ballistarios, id est, per eos, qui strage plurium hostium, ex ballistis, seu catapultis saxa in hostes mittunt. Sed cum hodie prædictorum usus jam defecerit, & in eorum locum tormentarii, & bombardarii, successerint, qui glandes, globos plumbeos, pilas ferreas, vel lapideas ex tormentis, & aliis machinis bellicis in hostes ejaculant, eorum usus in bello justo, etiam inter Christianos initio, licet, dum non exerceatur incantationibus, aut aliis malis artibus. Prædicta tamen arte nequeunt uti Christiani pro hostibus Christiani nominis contra fideles, & Catholicos sub anathematis poenæ. *c. un. b. t.* & quidem talis excommunicatio est late sententia, & reservata Pontifici. Nec item possunt fideles dictam artem ballistariam, vel tormentariam infideles docere; *arg. c. 6. de Judais.*

## TIT. XVI.

## De Adulteriis, &amp; stupro.

180 Adulterium, de quo prima pars præsentis Rubricæ, licet aliquando sumatur late pro quacumque conjunctione carnali non conjugali. *c. 4. 32. q. 4.* tamen proprie est violatio alieni thori: vel fidei, & thori conjugalis, ex *D. Aug. de Bon. Conjug. cap. 4.* & dicitur adulterium, quia adulter præter suam ad alteram accedit. *cap. 15. 32. q. 5. l. 1. tit. 17. p. 7.* ibi: *Adulterio esse yerro, que omne face à sabiendas, y haciendo con muger casada, ò desposada (de presenti) con otro: è tomò este nome de dos palabras de latin: alter, y thours, que quiere tanto decir, como omne, que va, ò fue al lecho de otro Potestque committi, vel à marito alieno cum soluta, vel è contra ab uxore aliena cum soluto, & dicitur adulterium simplex, vel unilaterale, vel potest committi à marito alieno cum aliena uxore, ac proinde bilaterale dicitur, estque duplex adulterium: & cum utroque modo fides conjugalis violetur, utrumque est verè, & proprie adulterium. *c. 15. & 16. 32. q. 5.* Adulterium autem bilaterale seu duplex gravius est, siquidem non tantum lædit adulter propriæ uxoris fidem, sed etiam alterius mariti jus, & aliquando, etiam liberorum. Siquidem si-*

filii ex adulterio natus percipit alimentum, & postea legitimam à patre putativo cum præiudicio legitimorum. In adulterio duplex invenitur malitia, una luxuriae, quia vir extra conjugium accedit ad foeminam: alia iniustitiae, quia læditur ius, quod ad se invicem conjuges habent, obligans ad carnem suam cum alio non dividendam. *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8.* & licet maritus in adulterium consentiat adhuc manet adulterii malitia, licet maritus tunc non possit actionem pro tali injuria instituere. Deo enim Authori naturæ inferitur injuria, etiam marito consentiente, cum Deus utrumque conjugem indissolubili vinculo adstringit, imò & ipsi matrimonio inferitur injuria. Hinc est damnata ab *Innoc. XI.* hæc propositio, *quæ est. 50. Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Qui ad sponsam alterius accedit, licet peccatum iniustitiae committat, non tamen ex proprie adulter; nisi sit sponsa de presenti, quæ verè conjux est. Ut communis habetur. Nec adulter est, qui accedit ad uxorem putativam alterius, quia non intercedit vinculum, quod adulterio violatur, licet pro adultero, quoad penas in iure habetur. *L. 13. §. 1. ff. ad Leg. Julian. de Adulter.*

181 Ex adulterio duplex actio oritur, alia Civilis, alia Criminalis. Civili potest innocens 1. agere ad divortium, seu separationem, quoad torum, & cohabitationem *c. 5. de Divort. 2. ad restitutionem dotis, seu donationis propter nuptias: nam hæc debet restitui innocenti cum omnibus, quæ nocenti tulit. L. 8. §. 4. C. de Repud. c. 4. de Donat. inter. 3.* Maritus potest petere ab adultera, & adultero alimenta pro prole adulterina, imò uterque adulterans, nata prole, tenetur damna illata compensare, quantum fieri potest sine detrimento boni altioris, & causatione majoris mali: singuli adulterantes, si dubium sit, quis sit pater, secundum dubii proportionem tenentur restituere, & prolem alere; & quidem adulter ordinariè post annum tertium tenetur prolem alere, adultera, usque ad annum tertium inclusive *Lacroix L. 3. p. 2. ex n. 332.* Item liberi legitimi possunt petere exclusionem filii adulterini à successione in bonis paternis, & suo modo etiam à maternis. Etiam actione criminali potest adversus adulterum agi, non ad interesse,

sed ad publicam vindictam, ut poena legitima ipsi infligatur: & quidem in Lege veteri poena adulterii erat mors per lapidationem infligenda. *Joann. 8. v. 5. ibi: In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Iure Civili prius erat deportatio, vel exilium. *L. 5. ff. de Quart. postea à Constantino in L. 30. C. ad Leg. Jul. de Adulter. poena gladii fuit statuta, quam poenam, quoad foeminas ob sexus fragilitatem ad verberationem, & detractionem in Monasterium reduxit Justin. in Auth. Sed hodie. C. ad Leg. Jul. de Adulter. ferè idem fuit statutum à R. N. Alph. in L. 15. tit. 17. p. 7.* sed hodie hæc dispositio cessat, & poena utriusque adulteri est æqualis, scilicet utriusque mors. *L. 1. tit. 7. lib. 4. For. Leg. L. 1. tit. 20. lib. 8. R. C. & ibid. Aesved. num. 5. & notat Greg. Lop. in d. L. 15. V. Morir.*

182 Iure Canonico Laici adulteri olim excommunicabantur. *c. 6. h. t. adulter tamen, si mariti volebant eas recipere, perpetuò detrudebantur in Monasterium ad agendam poenitentiam. c. 19. de Convers. Conjugat. Sed hodie regularitèr Judici secularis relinquitur adulterorum poenitentia. Si Clericus tantum diffamatus est, vel suspectus de adulterio, ei indicitur purgatio Canonica, in qua si defecerit, est suspendendus ab officio. *c. 5. h. t.* Si est convictus, vel confessus in iudicio debet suspendi ab officio, & beneficio, & ad poenitentiam agendam detrudendus est in Monasterium toto vitæ tempore. *c. 10. & 11. D. 81.* Hodie poena carceris, vel pecuniaria solet imponi, exoleta jam tali detractione, & si fortè in adulterio, vel strupo deprehensus à marito, patre, filio, vel fratre foeminae percutiatur, si incontinenti hoc fiat, non incurrit sic percutionis excommunicationem Canonis, quia non suadente diabolo, sed doloris vehementia impellente creditur percussisse: licet talis percussio peccaminosa sit. *c. 3. de Sent. excom. Nav. in Man. cap. 27. num. 4. §. 7. 84. Covarrub. de Sponsal. part. 2. cap. 7. num. 12.* Maritus, qui uxorem pater, qui filiam adulteram in adulterio deprehendit, impunè occidit, quoad forum externum siquidem Leges tale delictum non puniunt. *L. 20. L. 24. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. quod etiam in nostra Hispania servatur. L. 13. L. 14. tit. 17. p. 7. L. 3. tit. 20. lib. 8. R. C. L. 4. tit. 23. lib. 8. R. C.* Quoad forum tamen internum sic occidens lathalicè peccat: nam Ecclesia non alium gladium ha-*

habet, quam spiritualem, & quidem non ad occidendum, sed ad vivificandum, *cap. 6. 33. q. 2. D. Thom. in 4. D. 37. q. 2. art. 1. Hinc Alex. VII. hæc propositionem, quæ est 19. damnavit: Non peccat maritus occidens propria autoritate uxorem in adulterio deprehensam. Potest tamen eam occidere tanquam Minister Justitiæ, si ipsi à justitia hæc facultas committatur, ut in Hispania committitur in L. 1. tit. 20. lib. 8. R. C. ibi: Si niger casada ficere adulterio, ella, y el aaulterador ambos sean en poder del marido, y faga de ellos lo que quisiere; y de quanto han ansi, que no pueda matar al uno, y dexar al otro: pero si hijos derechos huvierer ambos, ó el uno de ellos, beveden sus bienes; y si por ventura la muger no fue en culpa, y fuere forzada, no haya pena. Et in L. 5. tit. 20. lib. 8. R. C. additur: El marido que matare por su propia autoridad al adultero, y á la adultera, aunque los tome en fragante delito, y sea justamente beoba la muerte, no gane la dote, ni los bienes del que matare; salvo si los matare, ó condenare por autoridad de nuestra justicia, que en tal caso mandamos, que se guarde la Ley del Fuero, que en este caso dispone, que es la Ley primera de este titulo. Et ibid. Aesvedo. Adulterium, quod sub matrimonii specie committitur, & dicitur polygamia, quando scilicet conjugatus, adhuc ejus conjugæ vivente, secundas nuptias scienter contrahit, ob gravissimam irreverentiam Sacramento illatam gravius punitur: & quidem in nostra Hispania, hoc delictum ad Inquisitores pertinet, & quidem privative, ita ut non solum Judices Laici, sed etiam Ecclesiastici excludantur. Hujus quidem criminis rei ducentur in publicum suggestum, ubi abjurant de levi, mitra infamii eorum capiti imposita. *Hispaniæ: Corozá, & fustibus caduntur, & ad triremes per quinquennium damnantur. Sousa in Aphor. Inquis. L. 1. cap. 2. n. 7. Carena, & alii. Vid. L. fin. tit. 17. p. 7. L. 8. tit. 20. lib. 8. R. C.**

181 Ad accusandum criminalitèr adulterium, ante omnes, admittitur maritus innocens adulteræ. Illius enim maximè fides, fidem conjugalem sibi servari, ac proinde præferret etiam patri adulteræ, etiam si hic in accusando præveniret. *L. 2. §. 8. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. nisi pater maritum infamiae arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare: nam tunc pater marito præferret. Si maritus nolit, vel omit-*

tar accusare adulteram, pater adulteræ admittitur ad eam accusandam: post patrem ceteri cognati adulteræ admittuntur, scilicet frater, patruus, avunculus, & alii, quos verus dolor ad accusandum impellit. *L. 30. C. ad Leg. Jul. de Adulter. L. 2. tit. 17. p. 7.* Hodie tamen in nostra Hispania solum admittitur maritus ad accusandum uxoris adulterium. *L. 2. tit. 19. lib. 8. R. C. & nullus alius, etiam data negligentia mariti: & etiam si adulterium esset mixtum cum incestu, ut ex generalitate Jurium deducit. Greg. Lop. in L. 2. tit. 17. p. 7. V. Tan negligente.* Et licet olim factò divortio, quilibet de populo poterat adulteram accusare ob mariti, vel parentum negligentiam. *L. 3. tit. 17. p. 7.* Hodie verò nec factò divortio, nec etiam mortuo marito, aliquis admittitur ad adulterium accusandum, ut ex d. L. 2. tit. 19. lib. 8. R. C. tenent Greg. Lop. in L. 3. tit. 17. p. 7. Aesvedo, in L. 1. tit. 20. lib. 8. R. C. n. 6. Maritus tamen, quando accusat adulteram, debet etiam, & adulterum accusare, si uterque vivat ac proinde, vel utrumque, vel nullum debet accusare. *L. 2. tit. 20. lib. 8. R. C.* de Jure Civili uxor non potest criminalitèr maritum accusare. *L. 1. C. ad Leg. Jul. de Adulter. L. 1. tit. 17. p. 7.* Siquidem in uxore adultera gravius est adulterium, quam in marito ob incertitudinem prolis, & suppositionem alieni partus. Deinde: quia uxor majorem reverentiam debet marito, tanquam suo capiti, quam maritus uxori. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 5. Sanchez de Matrim. lib. 10. D. 8. n. 33.*

184 De Jure Canonico etiam uxor ad accusandum adulterum admittitur. *C. fin. 32. q. 5. L. 1. in fin. tit. 17. p. 7.* *Esto sue establecido por las Leyes antiguas, como quier, que segun el juicio de Santa Iglesia non seria assi.* Et deprehensi in adulterio non debent ad imparia judicari, quoad debitum reddendum, quoad divortium, & quoad accusationem. *Gloss. in cap. 4. 32. q. 1. V. Ad imparia. Farin. Prax. Crim. q. 141. n. 105. & alii.* Maritus, ut talis potest adulteram accusare intra 60. dies utiles à tempore matrimonii per divortium soluti computando: Patri adulteræ idem tempus 60. dierum conceditur: sed ipsi non currit, marito accusante: quod si uterque accusare intra hoc tempus omittat, utrique hoc tempus currit. *L. 4. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Elapsis 60. diebus, etiam extraneus admittitur intra quatuor menses utiles, & tunc possunt*

admitti, maritus, & pater, si suo tempore omiserunt; sed tantum tanquam extranei. *L. 4. §. 1. L. 11. §. 6. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Elapso tamen quinquennio, & quidem continuo computando, à tempore commissi criminis, jure speciali, non est locus hujus criminis accusationi: sicut nec stupri, lenocinii, & aliorum Legis Juliae. *L. 5. C. ad Leg. Jul. L. 4. tit. 17. p. 7.* licet alia crimina solum 20. annis extinguantur. *L. 12. ad L. Cornel. de Fals. Gonn. in cap. 4. h. t. n. 3. & alii com.* Possunt accusari tam adulter, quam adultera, dummodo adulterium sit commissum per dolum, quia sine eo adulterium non committitur. *L. 43. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Si mulier conjugata sit publica meretrix, licet de rigore, ut rea adulterii possit accusari, & puniri. *L. 13. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Hodie tamen in praxi non solet accusari, vel puniri tanquam adulter, accedens ad meretricem, etiam conjugatam. Etiam possunt accusari, qui cooperantur adulterio; v. g. facientes questum ex adulterio, exercientes lenocinium, prostitute uxores suas. *L. 29. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* præsentes domum scienter ad adulterium. *L. 8. ff. eodem.* In nostra Hispania mariti consentientes suarum uxorum adulteria puniuntur, sicut lenones. *Hispanæ: Alcubutes, ó Rufianes. L. fin. tit. 20. lib. 8. R. C. ibi: Que es por la primera vez verguenza pública, y diez años de galeras y por la segunda cien azotes, y galeras perpetuas.*

185. Quando tantum agitur civiliter ex adulterio ad divortium, solus Judex Ecclesiasticus de eo cognoscit: quia cum agatur de solvenda obligatione, quoad cohabitandum, resultant ex Sacramento matrimonii, censetur causa spiritualis, *c. 3. c. 4. de Divort. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 6. num. 8. Sanchez de Matr. L. 10. D. 8. n. 15.* Si criminaliter ad poenam sanguinis agatur, solus Judex secularis cognoscit: siquidem Ecclesiasticus causas sanguinis tractare non potest, *cap. 9. Ne Clerici, vel Monach.* quoad alias poenas, adulterium, quia injuriam inferit Sacramento matrimonii est mixti fori, *cap. 1. de Offic. Ordin.* & datur locus præventioni inter Ecclesiasticum, & secularem. *Clar. §. fin. q. 37. n. 3. & alii com.* si de restitutione dotis, vel donationis propter nuptias principaliter agatur, solum secularis cognoscit, quia est causa profana. Si de his agatur incidenter, potest cognoscere etiam Ecclesiasticus, ut

de causa accessoria divortio, *cap. 3. de Donat. inter.* Potest quis simul agere criminaliter ad vindictam publicam ob adulterium, & civiliter, ad interesse particulare restitutionis dotis, vel donationis propter nuptias, vel compensationis damni: at verò non æquè principaliter, quia actio criminalis, ut dignior non potest æquè principaliter cum civili cumulari; sed ita ut actor criminaliter agens accessorie possit interesse particulare petere. *Sanchez de Matr. lib. 10. D. 8. n. 19.* & potest etiam finito judicio criminali intentari actio civilis ad interesse, vel è contra; *arg. L. in. C. Quando civilis actio.* Non tamen potest finito judicio criminali, quoad publicam vindictam intentari, quoad divortium, vel è contra, quia causa divortii non est purè civilis, sed etiam est criminalis ad vindictam privatam tendens. *Sanchez de Matr. lib. 10. D. 8. n. 19.* Adulterium potest probari, si filius nascatur ex muliere, de cuius marito constat fuisse absentem ultra annum, vel esse impotentem ad coitum. Et cum hoc delictum, sine testibus, & in locis secretis fiat, ac proinde sit difficultis probationis, sufficiunt præsumptiones, si violentæ sint, & vehementes, quæ scilicet oriuntur ex actibus, & iudiciis proximis delicto, & cum eo regulariter conjunctis. Nam tunc jam habetur, ea moralis certitudo delicti, quæ atreña ejus qualitate haberi potest, ac proinde nullum restat morale periculum dammandi innocentem, *cap. 4. h. t. Menoch. de Præsumpt. L. 1. q. 58. n. 3. Mascard. de Probat. concl. 57. num. 6. Sanchez de Matr. L. 10. D. 12.* Tales præsumptiones sunt, si solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto jacere visus est, vel si in locis secretis, & latebris, ad hoc commodis, & horis electis soli reperantur, quando mulier alias suspecta est, *cap. 12. de Præsumpt. L. 11. L. 12. tit. 17. p. 7.* judicare tamen, quænam præsumptiones sunt hic, & nunc vehementes, & sufficientes ad poenam ordinariam, arbitrio Judicis relinquuntur. Et quamvis adulterium plene non possit probari, attamen conjecturæ, & præsumptiones violentæ, quibus probandum est, plene probandæ sunt per testes non singulares, sed omni exceptione majores. Et quidem viro suspicanti uxoris adulterium, licitum est, illam observare cum testibus idoneis, ut eam de adulterio convincat; quia hoc non est ejus peccato cooperari: (hoc enim non licet) sed uti ejus malitia ad pro-

prium commodum. *Sanchez de Matr. lib. 10. D. 12. n. 51. & 52.* Si mulier discedit à marito, & adheret viro de incontinentia diffamato, vel suspecto, eique cohabiter, vel si invito, aut inscio marito per noctes in domo viri suspecti, vel litteræ amatorie inhonestam consuetudinem declarent, vel ipsa eam consuetudinem, & amicitiam jactet, vel si absente, vel ignorante marito, à juvenibus elam, & noctu frequentetur; vel si vir, & mulier in loco abdito soli inveniantur se mutuo osculantes, & amplexantes, & in aliis casibus similibus, si alia non concurrant adminicula, licet possit agi ad divortium, & ad poenam extraordinariam, non tamen ad ordinariam adulterii, nisi reus adulterium in judicio sit confessus: ne forte contingat, innocentem sine sufficiente probatione condemnari. *Sanchez de Matr. lib. 10. D. 12. ex num. 46.*

186. Si uxor est violentè oppressa per vim præcisam, & absolutam: vel si ab alio viro credens inculpabiliter esse suum maritum, cognita fuit: vel si nubet alieno viro, putans probabiliter maritum suum esse mortuum: cum tunc non detur culpa, nec datur adulterii poena. *L. 13. §. 7. L. 39. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Si per gravem metum sit cognita, poena extraordinaria, non ordinaria punietur: quia & si metus non tollat, nihil tamen voluntarium, & adulterium sine dolo malo, à quo excusat metus, non committitur in ordine ad poenam ordinariam. *L. 43. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Si uterque conjux adulterium commisit, crimen per crimine compensatur, quoad restitutionem dotis, vel donationis propter nuptias, imò & quoad divortium, quod neuter petere potest. *c. 6. c. fin. h. t.* Secus se habet, quoad vindictam publicam: nam uterque puniri potest siquidem per alterius adulterium Republicæ non satisfit, imò gravius offenditur. *Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 6. n. 5. Sanchez de Matrim. lib. 10. D. 8. n. 36. Barb. in c. 6. h. t. n. 5. Gonz. in C. fin. eod.* Non habetur in foro externo pro adultero, qui accedit ad solutam, credens esse conjugatam, quia magis factum, quam animus attenditur: secus est in foro interno. Siquis accedat ad mulierem alteri nullitè conjugatam, quia matrimonium fuit invalidum ob consanguinitatem; v. g. adhuc uterque delinquens subjacet poenis adulteriorum, ut pro nostra Hispania est decisum in *L. 4.*

*tit. 20. lib. 8. R. C.* Si verò quis accedat ad conjugatam credens esse solutam, adulterii poena excusatur, cum sine dolo malo, à quo excusat ignorantia, adulterium non committatur. *L. 43. ff. ad Leg. Jul. de Adult. L. 5. tit. 17. p. 7. Azor. p. 3. L. 3. c. 8. not. 8. Far. Prax. Crim. q. 141. n. 97. & alii contra Diaz, Prax. Crim. Canon. c. 85. V. Adulter. n. 5.* Qui in effectu cum aliena uxore non committitur, licet ad actus valde propinquos perveniat poena extraordinaria carceris, vel fustigationis, vel alia simili punietur, non tamen poena ordinaria adulterii: siquidem tunc cessat confusio sanguinis, & incertitudo prolis, quæ causam poenæ ordinariæ statuendæ dederunt; præterquamquod conatus ad delictum generali consuetudine non punitur poena ordinaria delicti quamvis valde proximus sit delicto, nisi specialiter hoc in Lege notetur. *Clar. §. fin. q. 92. n. 1. & alii.*

187. Stuprum, de quo secunda pars præsentis Rubricæ proprie est *illicita virginis defloratio, non præcedente pacto conjugali. c. 2. §. Cum ergo, 36. q. 1. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6.* late tamen sumitur pro *qualibet illicito concubitu cum virgine, vel vidua honestè vivente; imò etiam cum puero.* *L. 34. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Stuprum est triplex: aliud est *violentum absolute;* quando, scilicet, virgo invita, id est retinens manibus, & pedibus, imò, & clamore implorans auxilium, per vim præcisam opprimitur. Aliud *voluntarium,* quando ipsa virgo in sui deflorationem consentit. Aliud denique est *violentum secundum quid,* quando, scilicet, per metum, delum, vel fraudem virgo stupratur. Quando omnino voluntarium est stuprum non habet novam malitiam supra simplicem fornicationem, ac proinde non est necesse hanc circumstantiam in confessione declarare: nam nec virgini fit injuria, quia volenti, & consensienti injuria non fit. *L. 145. ff. de Regul. jur. c. 27. eod. in 6.* nec parentibus, quia in ejus defloratione non violatur Patria potestas, sicut violatur per raptum. Et quidem ipsa habet usum sui corporis, & membrorum independentem à Patria potestate, non minus; ac si corrupta esset. *Sanchez de Matr. lib. 7. D. 14. n. 5. & alii com. contra Sylv. Azor. Telet. & alios.* Quando stuprum per violentiam, metum, dolum, vel fraudem fit, in eo committitur injuria, auferendo violentè à femina virginitatem, cujus circumstantia in con-

fessione declaranda est. *Sancti de Matrim. lib. 7. D. 14. n. 7.* Stuprum vi præcisè completè commissum poena capitali pleccitur. Quando stuprum non est completum, nec virgo in effectu dehorata, licet ad actum proximum vi adhibita pervenisset stuprator, solum deportatione, vel fustigatione punitur. *L. 1. §. fin. ff. de Extraord. Crimin.* Si puella blanditiis, promissionibus, muneribus, vel aliis fraudibus, vel fallaciis in sui dehorationem consentit, tunc stuprator non punitur poena ordinaria mortis: alias ferè semper capitalis poena stupratori esset infligenda, cum ferè numquam tales promissiones, & persuasiones desint. *Sic cum aliis Thomàs Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 14. n. 8.* Quando in stupro nulla vis intervenit, si stuprator sit vilis conditionis, verberatur, & relegatur. Si honesta sit conditionis, publicatur mediâ pars bonorum ejus *§. 4. Inst. de Public. judicis.* Si servus ejus Dominam corrumpebat, ipse comburebatur, *L. un. C. de Mulieribus, qua se propr. serv.* Idem in nostra Hispania disponitur in *L. 2. tit. 19. p. 7.* Sed hodie generali consuetudine, & praxi hujus poenæ loco servatur poena Juris Canonici obligantis stupratorem contrahere cum stuprata, vel eam dotare. *c. 1. h. t. ut ex Gom. in L. 80. Taur. & Julio Claro assert. Gonz. in c. 2. h. t. n. 6.* Qui aliquam foeminam veste meretricia indutam dehoravit, non est ut stuprator condemnandus, siquidem deest propositum, & animus foeminam honestam corrumperendi, quod ad stuprum requiritur. *L. 15. §. 15. ff. de Injur.* Deinde requiritur, quod delictum sit consummatum: conatus tamen solum poena extraordinaria punitur, etiamsi ad actum proximum pervenerit, nisi ubi aliud expressè disponitur. Clericus stuprator puellam dotare tenetur. *c. 1. h. t. & olim ab officio deponeretur, c. 44. 2. q. 7.* Hodie præter præstationem dotis, punitur, vel incarceratione, vel depositione, vel suspensione, vel alia poena arbitraria: Et si vi stuprum fiat, perpetuo carceri Clericus Mancipatur loco poenæ capitalis, quæ Laicis infligitur, *Mench. de Arbitr. cas. 88. n. 6. Farin. Prax. Crim. q. 147. n. 65.* Laicus stuprator, Jure Canonico attentò, tenetur ducere stupratam, vel eam dotare: nam licet utrumque simul, & copulativè injungatur in *Cl. 1. h. t.* Consuetudine tamen inductum est, ut hodie conjunctiva in disjunctivam resolvatur; *arg. L. 53. ff.*

*de V. S.* ac proinde hodie sufficit, vel eam ducere, vel si hoc nolit, eam juxta ejus qualitatem dotare. *Gonzal. in c. 2. h. t. n. 3. & 8. Gomez in L. 8. Taur. n. 6. Barb. & alii.* Non tamen tenetur stuprator ante sententiam condemnatoria, vel stupratam ducere, vel eam dotare, si aliundè reparavit damnum stupro illatum, ita ut ipsa æquè bene nubat, ac si corrupta non esset. *Covarrub. de Sponial. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 16.* post sententiam tamen condemnatoriam, statim eam dotare tenetur stuprator, etiam non specato tempore nuptiarum, & potest stuprata, si non nubat, jus transmittere ad hæredes. Si verò stuprator de pretio convenit cum puella, ante, vel post concubitum, vel de poena transegit, solum ad hoc tenetur, licet alias uterque possit à Judice ob delictum puniri. *Clar. §. fin. q. 58. n. 14.* Virgo corrupta, non solum, quando est superioris conditionis, quoad nobilitatem, & divitias; sed etiamsi sit æqualis conditionis cum stupratore, non tenetur nubere stupratori, etiam si hic in satisfactionem matrimonium offert, sed potest augmentum dotis petere, ne privetur libertate, quam habuit ante stuprationem nubendi cui velit. Et etiam si puella, & ejus pater in matrimonium consentiat, non tenetur stuprator ad illud incundum, sed tunc est apud ipsum electio, an contrahere, vel dotare velit, quod si non possit pecunia, vel dote compensare damnum stupro illatum, adhuc non tenetur eam ducere, si puella sit longè inferioris conditionis. Siquidem nequit obligari, tale damnum reparare cum majori damno proprio: tunc sufficet, si compensare damnum procuret meliori modo, quo possit. *Lugo de Just. & jur. D. 12. sect. 1. num. 18. Less. eod. lib. 2. cap. 10. n. 13.* Quando puella consentit in sui violationem sub promissione seriâ, quam ipsi fecit stuprator de ducenda ea in uxorem, tenetur determinatè stuprator eam ducere, nec habet locum alternatio. Si verò promissio sit ficta, satisfaciæ saltem in foro conscientia, si reparet pecunia, vel dote, damnum stupro illatum. Si stuprator non possit stupratam ducere, quia Ordine Sacro, vel alio matrimonio sit ligatus, tunc determinatè tenetur eam dotare. Similiter tenetur determinatè dotare, quando puella ex juxta causa non vult stupratori nubere, vel parentes ejus eam ipsi nolint dare. *Gom. in L. 80. Taur. n. 6. Barb. & Gonz. in c. 1. h. t. n. 7.*

188 Stuprator, qui nullam injuriam, nec damnum aliquod in re, & effectum causavit suo stupro, ad nihil tenetur. Sicque nec ad contrahendum matrimonium, nec ad dotem constituendam tenetur stuprator. 1. Si foemina sponte, & sine vi, vel fraude in sui violationem consensit: nam consentienti non fit injuria. *L. 145. ff. de Regul. jur. c. 27. eod. in 6.* Nisi ipse præter eam fragilitatem publicando, diffamaverit eam: nam tunc damnum reparare tenetur. *Mol. de Just. tr. 3. D. 104. n. 13. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3. c. 13.* Consentiente puellâ in stuprum, nihil est restituendum ejus patri, etiam si hac causa dotem auxisset: quia ipsa est suæ virginitatis Domina, & etiam invito patre potest nubere cui velit, etiam si inferioris esset conditionis. *Sancti de Matr. lib. 7. D. 14. n. 11. Soto de Just. & jur. L. 4. q. 7. art. 1. ad 2. Suar. Mol. Vazq. & alii, contra D. Anton. p. 2. tit. 5. c. 6. Bernard. Diaz. Pract. Canon. cap. 83. Gutier. & alios. 2.* Si etiam post damnum, vi vel fraude causatum ipsa foemina stuprata, etiam sine consensu patris stupratori remittat obligationem. *Lugo de Just. & jur. tom. 1. D. 12. sect. 1. n. 9. & 10. Less. eod. lib. 2. cap. 10. n. 9. & 19. Vazq. & alii. 3.* Si ipsa etiam post dehorationem inveniat maritum ejusdem conditionis, ac si non esset corrupta: quia stuprum, etiam ipsi marito fuit occultum: tunc enim in re nullum damnum passa est mulier. 4. Si mulier jam erat inhonestæ vitæ: nam huic nullum damnum fit: vel si ab alio erat jam corrupta: secus est si habebatur publicè pro virgine, licet verè corrupta esset: nam tunc eam per vim cognoscens, & diffamans arbitrio Judicis satisfacere tenetur. Qui metu gravi injustè incusso stupravit virginem, tenetur eam ducere, vel dotare: quia injuriam, & damnum illatum hoc modo reparare debet: si verò stuprator justè incutiatur metum; v. g. dicendo, quod eam accusabit apud Judicem, vel patrem quando hoc justè fit, non tenetur ad restitutionem. Similiter non tenetur, ducere, vel dotare stuprator, qui blanditiis, precibus, vel muneribus puellam ad concubitum induxit, quia tunc voluntariè ipsa consensit: nisi preces adhibite sint à persona, cui magnam reverentiam debeat foemina; v. g. à Principe, vel habeant metum admixtum. *Molin. de Just. & jur. tr. 3. D. 106. Less. eod. lib. 2. cap. 10. n. 14. Lugo de Just. D. 12. sect. 1.*

189 Stuprum à Laico commissum est

mixti fori, ac proinde, tam à Judice Sæculari, quàm Ecclesiastico puniri potest. *c. 2. h. t.* ubi Greg. præcipit Episcopo Siptino, quod Laicus, qui virginem stupravit excommunicetur, vel corporaliter castigetur, & in Monasterio detradatur, si eam ducere in uxorem renuat: quod si cum ea matrimonium contrahat, ab omnibus poenis sententia comprehensis liberatur. Et idem est de sententia lata à Judice Sæculari, qui stupratorem in poenis corporalibus condemnat, casu quo non contrahat matrimonium. *Gonz. in c. 2. h. t. n. 6.* Si stuprator sit Clericus, solum à Judice Ecclesiastico punitur. Mulier asserenti cognitam, & impregnatam esse ab aliquo, incumbit probatio, ex eo quod asserit. Si nihil probet ipsi etiam cum juramento non creditur, qui uni testi non creditur. *c. 23. de Testib.* præcipue in causa propria. Et reus absolvitur, etiam si nihil probaverit. *c. fin. S. Sanè de Jur. jur.* Si aliquid probet, non tamen quod sufficit ad plenam probationem, viro deferatur juramentum ad ejus innocentiam purgandam, & tall juramento standum est; *arg. c. 5. h. t.* stuprum, sicut, & simplex fornicatio ferè eisdem modis, præsumptionibus, & conjecturis, quibus adulterium probatur, & poterat aliquando probatio per inspectionem fieri. *c. 4. c. 5. 27. q. 1. c. 6. C. fin. de Frigid. c. 4. c. 14. de Probat. L. 3. tit. 8. p. 4.* Ad quod notandum est, quod quamvis virginitas juxta aliquos, consistat in quadam membranilla: quæ est orificio vasis, & dicitur hymen, tamen plures hoc negant, & dicunt claustrum virginale consistere in membranis carnosiss, illud constringentibus, ita arctè, ut appareat, esse quasi ligamentum cutaneum, ac proinde, quod virginitas amittitur per apertionem, seu distensionem partium, quæ vas foemineum claudunt. *Sancti de Matr. lib. 7. D. 14. n. 1. Lessius, & alii cum Laer. L. 3. p. 1. n. 917.* Hæc autem inspectio debet fieri per obstetrices, & majori decencia possibili. Si foemina, quæ sit honestæ famæ cognoscatur à viro, & hic fateatur, se eam cognovisse, neget tamen eam esse virginem, vel etiamsi asserat, esse virginem, neget, vi vel dolo esse corruptam: ipsa tamen è contra virginem esse, & vi, vel fraude cognitam fuisse asserat; cum pro puella stet præsumptio, quod fuerit virgo, & seducta à stupratore, idè ipsi probare suum intentum incumbit; quod si in probatione deficiat,

creditur puella etiam sine juramento: ac proinde stuprator condemnatur, ut eam ducat, vel detet. Si verò constet, etiam per testes singulares, esse corruptam ab alio: vel saltem ipsa sit mala fama, & pasim pro virgine non habeatur, ipsi etiam cum juramento non creditur: nam ejusmodi mulieres facile juramenti Religionem contemnunt. *Mascard. de Prob. concl. 1237. n. 6. Barb. in c. 1. b. t.*

190 Præter has duas species luxuriæ, de quibus expressè rubrica loquitur, agendum nobis est in presenti, pro pleniori materia intelligentia, de cæteris luxuriæ speciebus, notando in omnibus, quod in re venerea non datur parvitas materiae, ac proinde ex hoc capite nullum peccatum erit veniale, nisi forte veniale evadat ex defectu advertentiæ, vel deliberationis. *Fornicatio* ergo, sic dicta à *fornicibus*, sub quibus Meretrices Romæ habitabant, & concubere solebant, teste Isidoro, *lib. 10. de Origin. latè sumpta* significat quemcumque concubitum extra matrimonium. *c. 2. §. Cum ergo, 36. q. 1.* Strictè significat coltum soluti à conjugio, & omni impedimento dirimente, cum soluta ab eisdem impedimentis, & sic comprehendit stuprum. Strictissimè est concubitus soluti cum femina jam deflorata. Quod si absque consuetudine fiat, simplex fornicatio dicitur, si consuetudo accedat, dicitur concubinatus. *c. 2. §. Cum ergo, 36. q. 1.* Concubinatus tamen in Jure Civili significabat conjunctionem, & consuetudinem cum muliere soluta domi retenta, tanquam si esset uxor. In Jure Canonico, si quis cum soluta consuetudinem habeat, etiamsi in domo eam non retineat, concubinarius appellatur. Aliquando in Jure Canonico dicitur concubina uxor de præsentis desponsata, cum minori tamen solemnitate. *c. 4. & seqq. D. 34. Præterea Conc. Vien. in Cl. 3. de Hereticis.* Damnat, ut erroneam, & hæreticam propositionem dicentium: quod actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non sit maximè cum tentatur exercens. Et Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est ordine 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam: & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Ac proinde dicendum est, fornicationem etiam simplicem, esse intrinsecè malam, & Jure Naturali, & Divino prohibitam, ut deducitur ex *D. Matth.*

*15. v. 27. ex D. Paul. 1. ad Cor. 6. v. 9. & 18. ad Galat. 5. v. 19. Rom. 1. ex v. 18. c. 10. D. 88. D. Thom. 2. 2. q. 153. art. 5. & communiter tenent Doctores:* Siquidem cum matrimonium sit institutum, & intentum ad rectam proles educationem, & huic fini in genere, & regularitèr opponatur fornicatio, & vagus concubitus, cum frequenter male hujusmodi proles educetur, licet in aliquo casu particulari, hoc inconveniens cessaret, hinc talis fornicatio censetur Jure Naturali prohibita, & intrinsecè mala: nec unquam fuit approbata fornicatio, sed ad summum tantum fuit permessa, vel tolerata. *L. 13. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult. L. 1. & per tot. ff. de Concubin. ut hodie permittuntur lupanaria in aliquibus Regnis ad graviora vitanda peccata, & olim in nostra Hispania permessa videntur.* Hodie tamen omnino prohibita sunt. *L. fin. tit. 19. lib. 8. R. C.* vel si Leges Civiles fornicationem approbarunt, illa, quia peccatum fovent, sunt abrogatæ à Sacris Canonibus. *c. 10. D. 88. c. 20. 27. q. 1. Cl. 3. de Hæret. Nec Osseas fuit jussus fornicari in illis verbis Osseas 1. v. 2. *Surre tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum:* nam solum jubetur sumere in uxorem mulierem, quæ antecedenter erat fornicaria, ex qua habuit filios, legitimos quidem, & ex verò matrimonio, proclives tamen fornicationi. In confessione debet copula explicari: ideò *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 25. damnavit. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens, commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem explicando copulam.* Jure civile nulla poena erat statuta fornicationi, nec concubinatu. *L. 13. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult. L. 1. ff. de Concubin.* Jure tamen Canonico non solum concubinatus, qui ob sui ob diuturnitatem peccatum auget. *C. fin. de Consuetud. c. 5. de eo, qui duxit.* sed etiam simplex fornicatio punitur. Cujus animadversio non solum in Clericos, sed etiam in Laicos, quia delictum est mixti fori, commendatur Ordinario Ecclesiastico in *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 8.* & hodie in utroque foro poena ferè est arbitraria. *Menoch. de Arbitr. cas. 289. & alii com.* In nostra Hispania poena concubinatus, etiam quando concubinae sunt Clericorum, vel Regularium, aliquando est poenaliaria, aliquando est exilii, & aliquando fustigationis pro varietate, gravitate, & duratione delicti. *L. 1. & seqq. tit.**

*tit. 19. lib. 8. R. C.* Comerçium Christiani cum muliere Judæa, vel infideli, vel è contra, licet simplex fornicatio sit, gravius tamen punitur, ex eo quod magna irreverentia, & injuria nomini Christiano inferatur, minori tamen, quam capitali poena pleçitur. In nostra Hispania Judæus cum Christiana peccans punitur morte, secus si Maurus cum Christiana peccet, sed hodie hoc vix servatur. *L. 9. tit. 24. L. fin. tit. 25. p. 7. & ibid. Greg. Lop.*

191 Incestus est concubitus inter personas consanguineas, vel affines intra quartum gradum, *cap. 2. §. Cum ergo, 36. q. 1. lib. 1. tit. 18. p. 1. ibi: Incestus quæritur tanto deçiv, como peccadò, que es fecho contra castidad, & cae en este peccado el que yace à sabiendas con su parienta fasta el quarto grado, ó con su cuñada, que fueze muger de su pariente fasta en esse mesmo grado.* Non tamen committit incestum. 1. Qui peccat cum consanguinea, vel affine in quinto, vel ulteriori gradu conjuncta; *arg. cap. 8. de Consang. & affin. 2.* Qui cognovit duas fœminas inter se conjunctas tertio, vel ulteriori gradu cum affinitas ex copula illicita solum ad secundum gradum se extendat. *Trident. sess. 14. de Reform. Matrim. cap. 4. ibid. Barbos. n. 12. Gutier. QQ. Canon. cap. 23. n. 3. cum aliis. 3.* Qui cognoscit consanguineam suæ sponsæ, quam nondum carnaliter cognoverat, quia adhuc non contraxerat cum ea fœmina affinitatem. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 4. 4.* Qui delinquit cum cognata legali per adoptionem, vel arrogationem: quia hic non est consanguinitas. 5. Ex eadem ratione, qui rem habet cum cognata spiritali ex baptismo, vel confirmatione. *Farinac. Prax. Crim. q. 149. Azor, p. 3. lib. 3. cap. 9. q. 4. & alii com.* Incestum inter ascendentes, & descendentes commissum morte punitur de Jure Civili. Eadem poena in aliquibus Provinciis infligitur incestui commissum cum sorore. Clericus incestum, præcipuè cum adulterio committens, & dependens, & beneficio privandus; *arg. cap. 10. & seqq. D. 81. Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 3. Farinac. Prax. Crim. q. 149. n. 34.* Laicus qui incestas nuptias contraxit scientèr, invalide contrahit, excommunicatur ipso facto. *Cl. un. de Consang. & h.abet impedimentum impediens, etiam ad contrahendum cum quacumque alia, cap. 4. 35. q. 2.* Si vir cum uxoris propriæ consanguinea rem habeat, vel uxor, cum con-

sanguineo marito, olim etiam mortuo conjugè, impedimentum impediens ad contrahendum novum matrimonium habebant, *cap. 5. 35. q. 2.* Sed hoc impedimentum per desuetudinem ablato, sic peccans solum privatur jure petendi debitum conjugale, *cap. 1. cap. 4. De eo, qui cognovit.* Denique quicumque in incestu contumacièr perseverat excommunicari jubetur, *cap. 9. 35. q. 2.* Proli ex quocumque commercio illegitimo nata debet pater, quando de eo constat, alimenta præstare, si habeat unde præstare valeat, cum non aliter inter ipsos sit pactum, cui standum est; *arg. cap. 85. de Reg. jur. in 6.* quod si non possit pater ea præstare, mater ad hoc tenètur, & in ejus defectum avi, &c. Mater solum tenetur ad alimenta lactis triennio præstanda infanti; *arg. cap. 5. De eo, qui duxit. L. 9. C. de Patr. potest.* Si ipsa, vel ob infirmitatem, vel nobilitatem, vel ob patriæ consuetudinem nequeat sine de decore lactare infantem, patris expensis debet nutrix conducì. *Molin. de Justit. tr. 2. D. 168. ex n. 11.* Si mulier de fornicatione cum aliis esse suspecta debet ei juramentum purgationis indicì, ut patrem declaret, quod si de duobus constet, alterum esse patrem, si uterque poterat matrimonium cum matre contrahere uterque ad alimenta pro sua portione tenetur, si upus tantum poterat contrahere matrimonium, ille tantum tenetur, quia præsumitur, quod honestius, vel proli favorabilis est, scilicet, esse naturalem, non verò spuriam.

192 Sacrilegium est, quando locus sacer violatur seminis effusione, & Ecclesia polluitur: de quo in *tit. 40. lib. 3. Decret. vel quando persona Deo dicata per votum castitatis, vel Sacros Ordines peccatum carnale committit. Et quidem Clericus Monialem corruptens privatur beneficio, & ad poenitentiam agendam in Monasterium detruditur depositus ab ordine, *cap. 6. cap. 28. 27. q. 1.* Similiter Monialis, quæ in sacrilegium consensit, vel debet detruði in arctius Monasterium cum rebus suis, vel in perpetuum carcerem, *cap. 11. cap. 25. cap. 26. cap. 30. 27. q. 1.* Laicus verò corruptens Monialem excommunicatur de Jure Canonico, *c. 6. 27. q. 1.* de Jure Civili pleçitur poena capitali. *L. 5. de Episc. & Cler.* Hodie tamen non applicantur, ut olim bona delinquentis Monasterio, in quo erat corrupta. *Menoch. de Arbitr. cas. 389. n. 27. Farinac. & alii* Sacrilegium commissum*

à Religioso, vel Clerico in sacris constituto cum soluta in foro externo tantum, ut simplex fornicatio punitur: in foro tamen poenitentiali debet hæc circumstantia aperiiri, quia mutat speciem. Qui in Ecclesia existens desiderat concubitum fornicarium, exercendum tamen extra Ecclesiam, vel si in Ecclesia videat foeminam, quam concupiscat, vel turpiter aspiciat non committit sacrilegium, nec ea circumstantia est necessario in confessione aperienda, imò nec tactus impudici, & turpes in Ecclesia habiti, sine periculo tamen pollutionis, habent novam speciem sacrilegii, quia solum seminis effusio, est quæ violat locum sacrum, & facit sacrilegium. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 15. ex n. 18.* Nec tempus sacrum variat speciem peccati carnalis: v. g. si quis rem habeat in die Veneris Sancto, vel alio. *Caram. Theolog. Regul.* Circa prædicta crimina sic disponit nostra Regia. *L. 7. tit. 2. lib. 8. R. C. Græve crimen es el incesto, el qual se comete corparienta hasta el quarto grado, ó con madre, ó con cuñada, ó con muger Religiosa profesã, y esto mismo es de la muger, que comete maldad con hombre de otra ley, y qualquier que lo cometiere, allende de las otras penas en Derechõ establecidas, pierda la mitad de sus bienes para la nuestra Cámara.* Hodie, quod alias poenas arbitrio Judicis punitur incestus. *Acrved. ibidem, n. 100.*

193 Peccatum contra naturam est triplex. Bestialitas, Sodomia, & Mollities. Hinc *Alexand. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est 24. *Mollities, sodomia, & bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infima, adeoque sufficit dicere in confessione, se peccasse pollutionem.* Bestialitas est coitus cum bruto. Nec est necesse exprimere in confessione cujus speciei sit brutum, v. g. canis, nam licet bruta inter se specie differant, peccatum cum ipsis ejusdem speciei est, quia eadem est turpido, quæ consistit in eo quod, coitus sit cum animali diversæ speciei. Hoc turpissimum crimen igne punitur; & ipsa bestia comburitur, ne tantæ turpitudinis memoria apud homines exstet. Sic in lege veteri fiebat *Levit. 20. v. 15. cap. 4. 15. q. 1. ibi: Queritur quomodo sit reus pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo Legis capax. Pecora in dæ credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam.* *L. fin. tit. 21. p. 7. ibi: E*

*guar la remembranza del fecho.* Nec est necessarium, ut dixi, in confessione exprimere speciem animalis, an sit canis, vel ovis: nec item an sit mas, vel foemina: nam quamvis differant in specie physica, vel in genere entis, non tamen in genere moris. *Potestas. t. 1. p. 2. n. 21. 82.* Licet esse explicandum, an sit mas, vel foemina, & an in vase naturali, vel etiam præpostere, teneant. *Alii cum Lacroix, L. 6. p. 2. n. 1083.* Concubitus cum Dæmone, vel incubo, vel succubo reducitur ad bestialitatem, cui peccato superadditur malitia contra Religionem, & præterea, etiam sodomia, adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris sodomitico, adulterino, vel incestuoso, quis coeat cum Dæmone, qui forte sub specie foeminae, vel viri appareat. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n. 1084.*

194 Sodomia est coitus cum alio ejusdem speciei, non tamen servato debito, & naturali sexu; v. g. Si mas cum mare, vel foemina, cum foemina coeat, ut ait *Apost. ad Rom. 1. ex v. 26. c. 14. 32. p. 7.* Et tunc dicitur sodomia perfecta, imperfecta tamen est, quando mas coit cum foemina etiam propria uxore, non tamen servato debito vase, scilicet ad generationem apto, sed in alio; v. g. præpostero coxendice, &c. & potest habere alias malitias adjunctas, ut incestus, adulterii, vel sacrilegii. Et quidem juxta *Lugo de Pœnit. D. 16. n. 423.* Explicari debet poenitens, an fuerit agens, vel patiens, quod negat *Diana tom. 2. tr. 4. res. 159. & p. 6. t. 6. res. 36.* Laicus hujus criminis reus excommunicatur, & à fidelium communione excluditur, donec condignam egerit poenitentiam, *cap. 4. de Excessibus Prælat.* & si conjugatus sit potest conjux innocens ab eo divertere, non secus, ac si esset adulter; *arg. cap. 7. 32. q. 7.* etiamsi sodomia imperfecta, vel bestialitas à conjugate commissa sit. *D. Th. in 4. D. 35. q. un. art. 1.* Si mulier invita cognoscatur sodomitice à suo conjugate, potest saltem ad tempus, scilicet donec vir emendetur, divortium petere. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 4. n. 8.* licet alii cum *D. Antonino* perpetuum divortium hoc casu concedant, debet in confessione explicari an talis conjunctio sit habita cum foemina in vase præpostero, vel cum mare: quia laeditur diversa honestas, & an complex sit consanguineus, conjugatus, vel habens votum castitatis: quia diversæ species constituuntur. Non tamen, ut dixi est necesse

explicare, an quis si agens, vel patiens, ut tenent *Dian. in Compend. V. Sodomia, cum pluribus*, contra *Tambur. Lug. Mend. & Laer. lib. 6. p. 2. num. 1080.* Si tamen patiens polluat, hoc debet exprimere. Quando sodomia reservatur, intelligitur de perfecta, ac proinde de ea, quæ est inter duos masculos cum effusione seminis intra vas præpostorum: ac proinde non censetur reservata sodomia habita inter duas foeminas, nec viri cum foemina. In hac reservatione, non solum agens, sed & patiens comprehenditur, quamvis *Tamburin. & alii* non extendant reservationem, quia odiosam, ad patientem, nisi in ea exprimat, Complexus duorum masculorum, quorum unus incubet supra alium, sicut supra mulierem cum seminis effusione, etiam cum affectu ad indebitum sexum non est sodomia, juxta *Dian. Caram. Matr. & alios*, sed mollities, ac proinde sufficit dicere pollutus sum tactibus impudicis alterius masculi, & illum pollui feci: quia circumstantia incubandi non mutat speciem. *Mendo. V. Luxuria, n. 10. Potestas, t. 1. p. 2. n. 2172.* sed contrarium videtur certius. *Laer. L. 6. p. 2. numer. 1082.* Si quis se polluat inter coxendices, brachia, seu alias partes foeminae, quæ non sint vas præpostorum, est tantum mollitas, sufficere dicere pollutus sum tactibus impudicis mulieris, contra aliquos.

195 Clericus sodomita beneficio privatus, & depositus ordine Clericali, debet in arctum Monasterium ad agendam poenitentiam detrueri. Præterea, *S. Pius V. in Const. Horrendum, die 3. Sept. ann. 1568.* decernit, quod Clerici tale crimen exercentes omni Clericali privilegio, officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico privati, & degradati, per Judicem Ecclesiasticum brachio seculari tradantur poenis laicorum puniendi, debet tamen præcedere sententia condemnatoria, vel saltem criminis declaratoria, cum nemo in se ipsum poenam adeo acerbam exequi teneatur, nec aliter poena à *S. Pio V.* statuta incurritur, quam si sodomia sit consummata, eaque non semel, sed iterato, ut innuit per verbum exercere. *Suar. de Cons. D. 31. sect. 4. n. 21. Barb. in cap. 4. de Excessibus Prælat. Azor. p. 3. L. 3. cap. 19. q. 2.* Hac constitutio *Pii V.* non est usu recepta, ut ex *Suar. Henric. Dian. Matth. & aliis*, assert *Torreill. tom. 1. tr. 3. d. 2. cap. 3. sect. 10. num. 24. fol. 595.*

Tom. II.

contra *Navar. & alios.* In nostra Hispania ex speciali privilegio contra sodomitas procedunt Inquisitores Lusitaniae, Valentia, Aragonia, & Cathalonia, non verò in aliis Provinciis. *Casar Carena de Offe. Inquisit. p. 2. tit. 6. §. 16. n. 84.* Poena de Jure Civili in sodomitas statuta, præter infamiam, quam etiam ante accusationem, & condemnationem ipso jure incurrit, est poena mortis. *L. 31. C. ad Leg. Jul. de Adult. ibi: Ubi Venus mutatur in alteram formam jubemus, insurgere Leges, armari jura gladio ultore, ut exquiritis penis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.* Et sicut sodomia, & alia Civitates, in quibus hoc nefandum delictum commitebatur, & unde nomen Sodomia accepit igne de Cælo descendente combusta sunt. *Genes. 19. ex v. 24.* Hodie hoc crimen committentes igne comburuntur. In pluribus Regnis hoc delictum quando præcisè attentatur, sed non consummatur, etiamsi ad actum proximum perventum sit, non poena ordinaria, sed extraordinaria punitur; *arg. L. 1. §. 2. ff. de Extraord. crim. Farinac. Prax. crim. q. 148. n. 54. Clar. §. Sodomia, num. 8. Menoch. de Arbitr. cas. 286. n. 28.* In nostra tamen Hispania ob specialem detestationem adversus tam horrendum, & nefandum crimen, conatus, etiam si sodomia non sit consummata morte ignis punitur. *L. 1. tit. 21. lib. 8. R. C.* ubi rationem assignat. *Porque entre los otros peccados, y delitos, que ofenden à Dios nuestro Señor, è infaman la tierra, especialmente es el crimen cometido contra orden natural, contra el qual las Leyes se deben armar para el castigo de este nefando delito, no digno de nombrar, destruidor de la orden natural, castigado por el Juicio Divino, por el qual la Nobleza se pierde, y el corazon se acobarda, y se engendra poca firmeza en la Fe, y es aborrecimiento en el acatamiento de Dios, y se indigna à dar al hombre pestilencia, y otros tormentos en la tierra, y nace del mucho oprobrio, y de nuestro à las gentes, y tierra donde se consiente, y es merecedor de mayores penas, que por obra se pueden dar, &c.* Mandamus, que qualquier persona, de qualquier estado, condition, preeminencia, ó dignidad que sea, que cometiere el delito nefando contra natura, seyendo en el convenida por aquella manera de prueba, que segun Derecho, es bastante para probar el delito de heregia, ó crimen lesa

Hh

Ma

Majestatis, que sea quemado en llamas de fuego: Y mandamos á las nuestras Justicias de todos nuestros Reynos, y Señorios, que con toda diligencia bagan guardar, y executar lo de suso contenido; sobre lo qual les encargamos sus conciencias, y que sean obligados á dar quenta á Dios de todo lo que por ellos, ó por su culpa, ó negligencia quedare de castigar: allende de la otra pena, que por Nos se les mandare dar, y bagan juramento especial de lo cumplir así, al tiempo que fueren recibidos en los Oficios. Laté ibidem Accv. & alii. Et certè hæ Leges in toto suo rigore servantur, non solum in nostra Hispania, sed etiam eas vidi practicari in his Insulis ann. 1732. in quodam homine, cujus confessionem generalem excepi, illique astiti, usque ad supplicium, & post ejus mortem, ad Populum concionem feci. Quid ergo mirum, quod alia Nationes tot laudibus supra nubes extollant gentem Hispanam, eo quod hoc vitium, tam acriter detestetur, & puniat. Audiamus Hieronym. Basilicum in suis Decision. decis. 4. inf. f. 56. Illud hic retinendum non pato, quod inter alias dotes, ac virtutes, quibus Hispana Natio supra ceteras eminet, non infimum sibi locum vendicat, quod hoc crimen (sodomia) adeo apud omnes in odio, atque abominatione est, ut nihil detestabilius possit apud eos audiri: detestantur, aversantur, exhorrescunt. Beata, ac condigna gens, cujus imperio geminus Orbis deserviat. Ad probandum corpus delicti in hoc crimine solent Judices decernere inspectionem stuprati per Chirurgos faciendam.

196 Mollities, seu pollutio est, quando vir, vel foemina voluntariè se pollut per seminis effusionem: sed cum clam, & sine testibus fiat, rarò, vel numquam punitur in foro externo. Si tamen in cor de tali delicto constaret, poena extraordinaria; v. g. felegationis, aut fustigationis puniretur. Grave enim peccatum est omnis pollutio voluntariè habita, ipsa natura, & Deo eam prohibentibus, 1. Cor. 6. v. 10. Hinc Innoc. XI. hanc absurdissimam propositionem, quæ est 49. damnavit. *Mollities jure natura prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Copula cum foemina mortua, si affectus dirigitur ad ipsam ut erat viva, tunc erit eadem species peccati, quæ esset si ipsa esset viva, ac proinde erit, vel fornicatio; vel adulte-

rium, &c. at verò independentèr ab hoc affectu, erit mollities, seu pollutio cum instrumento inanimato, quod quis se pollut, mutat speciem, consequenterque non est necessarium id in confessione exprimere: sed sat erit dicere, se habuisse pollutionem. *Caramuel, Dian. Tambr. Potest. t. 1. p. 2. n. 2184. Destillatio est fluxus humoris viscosi, quasi medi inter semen, & urinam, sine ingenti illa delectatione, quæ est in pullutione, si fiat cum carnis sensu, & commotione spirituum servientium generationi, aliquando est veniale, aliquando mortale illi cooperari, seu causam præbere, sicut in pullutione accidit. Si verò proveniat sine omni commotione sensus veneri, ut quandoque fit, de ea non magis, quam de sudore curandum est, ut dicit Cajetan. Tactus impudici sunt illi, qui de se ad Venerem ordinantur: tales sunt tactus partium inhonestarum, vel mamillarum, & cum ex se ad Venerem disponant, non excusantur à peccato mortali, nisi fortè gravissima causa talem tactum exigat. Tactus verò, qui fiunt ex jocositate, levitate, vel perulantia, etiam in parte nuda alieni corporis, sed tamen ejusdem sexus, vel super vestes alterius sexus, vel in animalibus, etiam ad genitalia, si absit periculum proximum consensus in delectationem venerem, si fortè inde oritur, peccatum erunt, sed ordinariè veniale tantum. Si tactus sint in parte honesta, vel proprii, vel alieni corporis, & non fiant malo fine, sed ex causa rationabili, vel naturali, vel juxta morem Patriæ, nullum erunt peccatum, etiamsi commotiones turpes præter intentionem, & sine periculo consensus oriuntur. Hinc complexus, compressiones manuum, oscula non obscena, quæ fiunt benevolentia causa, vel juxta morem Patriæ, etiamsi per accidens oriatur commotio, & delectatio venera, dum in illam non detur consensus, non sunt peccata. At verò oscula, quæ directè intendunt delectationem venerem, etiamsi nil ultra intendant, sunt peccata gravia: ideo *Alex. VII.* damnavit hanc propositionem, quæ est 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Erunt tamen venialia, si fiant ex joco, levitate,*

vanitate, petulantia, vel etiam ex sensualitate prout hæc dicit, non delectationem venerem, sed naturalem affectum. Tactus pudici in partibus honestis liciti sunt sponsis, si tantum delectationem sensitivam intendant: secus si venerem, numquam tamen ipsis licet tactus impudici. Conjugibus tamen licet, se tactibus ad copulam excitare. Si tamen alio fine; v. g. causa voluptatis habeantur, sunt peccata venialia, siquidem à matrimonio cohonestantur, & defectus finis debiti non est mortalis. Si tamen adsit pollutionis periculum, erunt mortalia, quia & ipsis illicita est pollutio. Aspectus objecti valde turpis, qui per se graviter ad libidinem provocaret quemlibet; v. g. partis inhonestæ alieni corporis, præsertim alterius sexus, etiam si delectatio non intendatur directè, erunt peccata gravia. Si verò ex justa, gravi, & sufficienti causa, vel utilitatis, vel necessitatis, talis aspectus poneretur etiam si graviter ad commotionem carnalem provocaret, si periculum consensus abesset, nula esset culpa, vel saltem non esset mortalis, si forte causa non esset plenè sufficiens, vel aliqua negligentia in reprimendo consensu daretur. Similiter nulla invenitur culpa in aspectu rerum de se non inhonestarum, etiam si præter intentionem turpis oriatur motus, dum tamen periculum absit consensus. Aspectus mulieris pulchræ cum sola complacentia de ejus pulchritudine ex se non est peccatum, nisi ad malum finem ordinetur, quia pulchritudo est donum Dei naturale. *Cajetan. lib. 1. opuscul. 14. q. 3. Sayro, Navarro. Trullenc in Dec. L. 6. c. 1. & alii.* Quando verò tales aspectus ponuntur sine animo venero absque causa, sed ex levitate, vel curiositate tantum, & sunt tales, qui per se possunt, vel solent excitare motus leves, si periculum consensus in delectationem inde subortam absit, erunt peccata venialia: uti sunt aspectus mixtionis animalium, vel proprii corporis, vel etiam foeminarum in partibus non inhonestis. Lectio rerum obscenarum, cantiones inhonestæ, gestus, litteræ, dona amatoria, & verba turpia sunt peccata gravia, si animo impuro fiant, & cum delectatione turpi intenta directè, vel admissa deliberatè, vel cum gravi scandalo. Si ex vanitate fiant, erunt culpæ veniales. Choræ secundum se sunt actus lætitiæ, non libidinis: sed possunt esse venialiter peccaminosæ propter verba amorosa, gestus, petulantiam, vel vani-

taem; imò & graviter peccaminosæ erunt, si ex intentione, se, vel alios provocandè ad libidinem, vel cum tactibus impudici fiant. Et de hujusmodi choreis intelligunt Sancti Patres, qui eas condemnant.

197 Grave sanè peccatum est ponere actiones, vel cogitationes practicas, quæ influunt, & provocant vehementer ad commotionem, vel delectationem venerem, aut pollutionem, ad quam per se, & sua natura tendunt, quamvis absit periculum consensus in delectationem, vel pollutionem, quæ secutura prævidetur. Sic grave peccatum est osculum lascivum, aspectus, vel tactus valde impudicus, vel nudus, cogitatio practica vehemens, &c. excusantur tamen à peccato hæ actiones, si deficient periculo consensus daretur urgens necessitas eas exercendi. Veniale tantum peccatum erit ponere actiones, etiam quæ pertinet ad genus luxuriæ, si tantum leviter influant in commotionem carnalem, & pollutionem. Similiter tantum veniale erit in genere luxuriæ ponere actiones de se illicitas, etiam mortaliter, non pertinentes ad luxuriam, si absit periculum consensus, licet inde prævideatur commotio carnalis, seu pollutio; v. g. edere calida, vel bibere vinum, etiam usque ad ebrietatem, cum prævisione pollutionis. Nullum autem erit peccatum ponere actiones de se bonas vel saltem indifferentes, suadente aliqua necessitate, utilitate, vel etiam aliqua naturæ convenientia, quamvis prævideatur secutura commotio, delectatio, vel etiam pollutio, si absit periculum consensus in illam; v. g. audiri confessiones de rebus obscenis, studere casibus conscientia, loqui cautè cum foemina ob aliquam necessitatem, vel utilitatem: equitare, cubare supinum, tangere proprium corpus, bibere, ac edere temperatè, & alia hujusmodi. Ac proinde nullum committetur peccatum, etiamsi timeatur pollutio, si quis fricat, vel scalpat verenda: ad abigendum molestissimum pruritus, non venerem ad tollendam immundiciam, & fetorem ex scabie, impetigine, vel ex lanugine, vel sanguine menstruo, vel aliunde provenientem: quia illæ actiones ex se licitæ sunt, vel necessariae, uti applicatio medicamenti ad illas partes male habentes, & per accidens est, sequi pollutionem. Item potest Chirurgus causa medicinae adhibendæ aspicere, & atrectare non solum verenda alterius viri, sed etiam

& foeminae. *Sanch. de Matrim. l. 9. D. 45. n. 6.* qui insuper dicit, quod licet talis se exponit periculo consentiendi firmiter proponens, non consensurum, quia cum necessitate compulsus in illud periculum se conijciat, merito de Divina misericordia majus auxilium potest sperare. Vid. *Sanch. de Matr. lib. 9. D. 17. & D. 45. & 46. Torrecilla, tom. 2. tr. 3. precept. 6. sect. 9. num. 75. & 88. f. 591. Joan. Sanch. in Select. D. 21. praeipue n. 29.* ubi plures citat. *Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 920. facit D. Thom. in 4. D. 34. q. 1. art. 2. ad 5. ibi: Tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* At verò nostra Catholica Regina Isabella, pudicitiae exemplar, cum morbum secretum contraxisset, maluit mori, quam à Chirurgo curari, cum pudoris detrimento, quod sane licuit ipsi, vel aliis foeminis, etiam ignobilibus licet, etiam aliter non possint curari: nam mors tunc sequitur praeter intentionem. *Less. de Just. l. 4. c. 3. dub. 8. n. 60. Sanch. Caramuel, & alii:* nam molestissimum est foeminae pudicæ nudam coram viro apparere. Sic de Nymphis sociis Dianæ, quando visæ fuerunt ab Actæone loquitur Poeta: *Sicut erant nuda, viso sua pectora Nymphæ percussere, viro, subitque ululatus omne implere nemus.* Pollutio in somnis habita est mortalis, si ante directè, vel formalitèr est procurata, & causa non est retractata, vel si post somnum placuit, vel approbata est propter delectationem veneream, quia tunc satis voluntaria est, ut sit peccatum: secus est, si omnino est involuntaria. Ob finem honestum; v. g. sanitatis, vel tranquillitatis animi, vel minuendæ tentationis licitum est simpli affectu optare naturæ exonerationem, dummodo illud desiderium non influat efficaciter in pollutionem. Similiter, licet de ea gaudere via naturali, & sine peccato habita, cum istius desiderii, & gaudii objectum non sit malum, melius tamen est ab his desideriis abstinere, cum raro careant periculo. Denique plures DD. hanc regulam in hac materia designant: scilicet, pollutionem in causa volitam, tantum esse peccatum, quantum est ipsa, ita ut si causa peccati mortale sit peccatum itidem mortale erit ipsa pollutio, si sit veniale, venialis & ipsa erit, quod si causa nullum sit peccatum, nec ipsa peccatum erit, dum tamen

semper periculum consensus absit. Nec tenetur quis impedire pollutionem spontè sua venientem, nec reprætere jam cœptam; v. g. in somno dummodo absit periculum consensus in voluptatem, nec eam voluntariè promoveat, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret, quia hoc non est procurare pollutionem, sed pati, ut effluat, quod aliàs corruptum læderet sanitatem. Expedit tamen munire se cruce, & sine alio tactu, quietis manibus, Deum rogere, ne permittat lapsum in delectationem. Delectatio ergo in genere est simplex complacentia in aliquo objecto. Delectatio venerea carnalis, seu turpis est, quæ percipitur circa partes generales per seminis commotionem, vel spiritum deservientium generationi, seu qua commovetur partes corporis obscenæ, vel saltem spiritus generales circa illas, ut deducitur ex *Galeo, lib. 14. de Usu partium, cap. 6. & 10.* Hæc aliquando dicitur *sensualis*, imò & *sensibilis, vel sensitiva*, sed verè in alio sensu sumitur delectatio *sensibilis*: hæc enim percipitur sine ulla commotione circa partes generales, sed tantum ex proportione, seu conaturalitate quam res habet cum organo alicujus sensus qualis est delectatio, quæ percipitur ex auditione musicæ, visu picturæ, odoratu floris, gustu sacchari, vel tactu holoserici, vel rei mollis, vel felis blandæ. Aliquando hæc delectatio, etiam dicitur *sensualis* in bono sensu, sicut etiam aliquando *sensibilis* in malo sensu sumitur pro venerea. Delectatio *morosa* est delectatio deliberata de actu turpi, quæ præcisè consumatur interius: à desiderio differt: quippè desiderium est voluntas efficax ad copulam, vel actum externum tendens. Delectatio verò sistit tantum in cogitatione interna, quin transeat ad volendum exequi id, de quo delectatur. Dicitur *morosa*, non à mora temporis, siquidem in instanti potest consummari, sed ex mora deliberationis, & advertentia sufficientis, ut sit peccatum. Quod si quis non plene advertat ad malitiam cogitationis turpis, nec plene consentiat, non erit delectatio morosa. Omnis delectatio morosa est peccatum mortale: nam ut Christus Dominus apud *Matth. 5. v. 28.* dicit *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœcatus est eam in corde suo.* Nec in re venerea datur parvitas materiæ, quando delectatio est plene deliberata, & ista sententia est probata à *Clem. VIII. & Paul. V.* & pro

nostra Societate N. Gen. Claudius Aquaviva die 24. April. 1612. sic decrevit: *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub pena excommunicationis, &c. præcipitur, ne quis in Societate publicè, vel privatim, non modo, ut veram, & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat, opinionem eorum, qui tradant in re venerea exiguum aliquam delectationem, deliberatè quasitam, propter levitatem materiæ excusari à mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det.* *Lacr. l. 3. p. 1. ex num. 910.* sed adhuc latè propugnat *Torrecill. t. 2. tr. 3. precept. 6. sect. 1. conclus. 1. f. 514.* dari talem materiæ parvitatem. Et quamvis in tactibus impudicis, in osculis illicitis, & in desiderio, & gaudio copulæ illicitæ debeat explicari circumstantia personæ tactæ, vel desideratæ, quia mutat speciem, & contrahitur peccatum adulterii, sacrilegii, &c. at verò in delectatione morosa, quæ præcisè sistit, & consummatur in cogitatione interna, quin tendat in circumstantiam personæ, non est necessarium explicare circumstantiam: sufficere dicitur: *Delectatus sum de copula illicita, illam cogitando, non desiderando.* Alii verò dicunt, circumstantiam personæ, de qua quis delectatur, mutat speciem, ac proinde esse in confessione explicandam. Qui verò ligatus est voto castitatis, hoc debet exprimere, si morosè delectetur: item debet addi, si delectatio morosa sit circa copulam sodomiticam, quia talis copula est extra genus copulæ naturalis.

198 Ut cognoscamus quando detur peccatum grave in his moribus internis libet transcribere optimum. *Text. in c. 2. D. 6. ibi: Sed pensandum est ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel quod majus est peccati consensu acciderit.* Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippè fit per Diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia & primo culpam Serpens suggestit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consentit. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem, & consensum iudex sui animus presideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratum non est: cum verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensum ex deliberatione descendit, nunc pec-

catum cognoscatur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpè contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminat in cognitione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationem consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluntatibus reluctans in delectatione carnali aliquomodo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicte, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Verè, & ille celestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Si autem captivus erat minime repugnabat, quapropter, & captivus erat; & repugnabat: igitur legi mentis ejus lex, quæ in membris est, repugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, captivus, & liber: liber ex justitia, quam diligit, captivus ex delectatione, quam portat invitus. Facit illud cæcumen quod solent dicere, Hispani: *El sentir no es consentir — ni el pensar mal es querer — consentimiento ha de haber — junto con el advertir — no peço yo en admitir pensamiento, que no advierto — y si advertido, y despierto — estoy, y no asiento al mal: de que no hay culpa mortal — puedo estar seguro y cierto.* Hinc est, quod non erit peccatum mortale, quamvis objectum circa quod delectatio habetur, gravitèr illicitum sit, nisi accedat consensus perfectus, prævia advertentia, seu cognitione malitiæ, & plena deliberatione; sed erit veniale ex actu imperfectione: quia desit plena advertentia, vel deliberatio: vel quia forte detur negligentia in resistendo. Si post advertentiam, quis se habeat negativè, nec positivè resistat, nec consentiat positivè, si motus, & delectatio sit vehemens, & summa peccabit mortalitèr, saltèr ille, qui veneris est asuetus ob periculum consensus. Ille verò, qui timoratæ conscientia est tantum venialitèr peccavit. Ut si curiosè studeat Arti Medicæ, vel Anatomica, cui displicet delectatio, & si non reprimat positivè, vel cessando. *Less. l. 4. de Just. cap. 3. n. 113.* Imò nullum erit peccatum se habere premissivè, si probabilitèr quis timeat, ne magis augetur tentatio positivè resistendo, ut sæpè accidit, si jam conatus est resistere, & nihil profecit juxta illud: *Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando.* *Lacr.*



*Laer. L. 5. n. 110.* Idem dicit, si nimis molestum foret continuo positive resistere: quod utique esset, quando diu tentatio durat, vel si ideo esset necessarium omittere actionem aliquam honestam, v. g. studium, confessionis auditionem, &c. maxime, si opus agendum esset natura sua talis concupiscentiae excitativum: nam tunc non teneretur quis illud omittere propter concupiscentiam suborituram. *Sanch. Suar. Taner. & alii apud Lacroix, L. 4. n. 110. & seqq.* ubi videti oportet.

199 Sed quia ejusmodi motus, & delectationes nobis illam retributionem impendant, quam (juxta vulgare proverbium) *mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.* Ut de Judaeis dicitur in *e. 13. de Judaeis.* Ideo castitatis amator non solum culpam, sed etiam ejus umbram in hac materia perhorrescere debet: ac proinde cum vehemens urgeat tentatio non debet eam gestu faciei, nec vocis strepitu; nec distorsione vultus repellere, sed corde ad Deum, B. Virginem, & Sanctos erecto clamare humiliter debet dicendo: *Domi-*

*Dum licet, & modici tangunt praecordia motus,  
Si piget, in primo limine, siste pedem,  
Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras,  
Sed propera, nec te venturas differ in horas.  
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.  
Interea tacite serpunt in viscera flammæ,  
Et mala radices altius arbor agit.  
Dura aliquis praecepta vocet mea, dura fatemur,  
Ecce: sed ut valeas, multa dolenda feres.  
Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignem,  
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.  
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?  
At pretium pars haec corpore majus habet.*

Sanè in hanc materia nulla cautella est nimia, praecipue ei, qui in utriusque Indiae Regnis residet: Nam & hunc innata libido

*ne vim patitur: Deus adjuva me: Et ne nos inducas in tentationem: ne permittas, me separari à te. Confige timore tuo carnes meas: In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Et simul ad B. Virginem se convertendo dicat. *Virgo singularis, inter omnes mitis, non culpis soluta, mitis fac, & castos. Sub tuam praesidium, &c. Memorare o piissima Virgo, non esse auditum à saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem suffregia esse devotum. Ego tali animatus confidentia, ad te Virgo Virginum ad te curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto, noli Mater Verbi verba mea despiciere, sed audi propitia, & exaudi. Debetque imaginationem ad alia divertere, aliquam occupationem suscipere, ut otium, quod est harum cogitationum infelix sentina, fecundissimumque Seminarium, avertatur: imò, & oportet, & aliqua maceratione quasi frano indomitum carnis equum cohibere. Denique optimum remedium est occasiones vitare. Contra libidinis impetus, ait Augustinus, apprehende fugam si vis obtinere victoriam. Ita omnes Sancti Patres, quin & etiam Ethnici clamant.*

*stimulat, primumque genus Regionibus istis in venerem est flagrat vitio gentisque, tuo quo.*

*De Raptoribus, Incendiariis,  
& violatoribus Eccle-  
siarum.*

200 **I**nter Raptores, de quibus in praesenti, alii sunt, qui mulieres rapiunt: alii, qui res, & bona surripiunt. Et quidem mulieres rapiunt, vel causa libidinis, vel matrimonii, & eorum delictum dicitur *raptus*, qui inter impedimenta matrimonii dirimentia numeratur: & de tali impedimento egimus in *tit. de Spons. & Matr.* & potest definiri sic: *Est violenta abductio mulieris honestae cujuscunque status sit: vel etiam masculi, de loco in locum moraliter diversum causa exercendi libidinem, vel etiam contrahendi conjugium.* *L. un. C. de Rapt. Virg. L. 1. tit. 20. p. 7.* Hinc est, quod si mulier rapta sit vite inhonestae; v. g. publica meretrix, & quidem soluta, non committitur raptus: nam hic requirit violentiam, & publica meretrix non praesumitur violentiam pati: potest tamen fieri raptus consentiente puella, si fiat, invitis ejus parentibus, & causa libidinis exercendae; & quamvis copula postea non sequatur cum rapta, adhuc crimen raptus committitur, si abducatur de loco in locum moraliter diversum. Quod si de uno cubiculo ad aliud, vel de via publica per aliquot passus abducatur, non raptus, sed stuprum erit, quoad poenas incurrendas. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 12. n. 20.* Raptus poena mortis punitur: imò si in raptu deprehendebatur raptor à cognatis puellae poterat impune occidi. *L. un. C. de Rapt. Virg.* In nostra Hispania rapiens viduam honestam, aut Virginem, aut nuptam, aut Religiosam: imò & propriam sponsam de futuro poena quidem mortis plectitur, quam etiam incurrit scienter auxilium praestantes: quod si rapta erat Monialis, etiam bona rapiens applicantur Monasterio unde raptor eam extraxit. Rapiens autem aliam à praedictis punitur arbitrio Judicis juxta temporis, loci, & personarum circumstantias. *L. fin. tit. 20. p. 7. & ibid. Greg. Lop.* Si raptus in eremo committatur poena sagittae punitur, nam pertinet ad Judices, quos dicimus *de la Hermandad.* *L. 2. tit. 13. lib. 8. R. C.* quae poenae locum

habent in solo conatu ad actus externos deducto, etiamsi raptus non perficiatur. *L. 2. tit. 13. p. 7. Gonzal. in C. fin. b. tit. num. 5.*

201 Alii sunt raptores rerum: & eorum delictum dicitur *rapina*, quae late accepta significat quamcumque usurpationem illicitam, *cap. 10. 14. q. 4.* Sed proprie accepta sic definitur: *Est ablatio injusta rei aliene mobilis, aut se moventis per vim facta.* *L. 1. C. de Vi honor. rapt. L. 1. tit. 13. p. 7. ibi: Rapina en latin tanto quiere decir en romance, como robo, que los homes facen en las cosas ajenas, que son muebles.* Dicitur *L. 1. ablatio*: hinc, qui nihil aufert, licet alteri damnum in bonis inferat ea destruendo, non committit rapinam: 2. *Injusta*: nam si quis auctoritate legitimi Magistratus, vel in bello justo, vel in necessitate extrema rem capit alienam, etiam violentè, cum non auferat injustè, rapinam non committit: 3. *Rei*: nam qui mulierem honestam libidinis causa abducit, non rapinam, sed raptum committit. Similiter, qui personam liberam, vel servam, ex alia causa furantur, talesque personas vendunt, vel fugere à suis parentibus, vel Dominis suadent, plagium, non rapinam committunt: 4. *Aliene*: in rapina enim duplex inferitur injuria: nam res propria alicui aufertur, & aufertur violentè. Hinc, qui rem apud alium consistentem violentè aufert, si in ea dominium habeat, illud amittit, si non habet dominium, rem, & ejus aestimationem tenetur praestare, §. 1. *Inst. de Vi honor. raptor. L. 7. C. Undè vi*, quia nulli licet propria auctoritate jus sibi dicere, & rem, etiam propriam, usurpare spretis juris ordine, & auctoritate publica: nam ex hoc publica pax, & tranquillitas turbaretur. *L. 176. ff. de Reg. jur. Molin. de Just. tr. 2. D. 683. n. 3. Gonzal. in cap. 2. b. t. 5. Mobilis, aut se moventis*, sive talis res sit pecunia, vel vestis, vel alia, magis, vel parvi pretii: nam in rapina, non tam noxa, quam violatio publicae securitatis attenditur. Nec sufficit, res ablatas suo domino restituisse: nam jam, est violata publica securitas. Qui alium à suo praedio dejicit, non rapinam committit, cum res sit immobilis, sed invasionem, daturque contra ipsum, non actio vi bonorum raptorum, sed interdictum: *Undè vi, vel conductio triticaria*, vel judicium publicum Legis Juliae. *L. 1. C. Vi honor. raptor. L. 1. §. 3. ff. de Vi, & vi armat. Gonzal. in cap. 2. b. t. n. 10. 6. Per vim facta:*

per